



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ervditione Religiosorvm**

**Humbertus <de Romanis>**

**Ingolstadii, 1591**

**VD16 H 5888**

Obstinatio multum cauenda seni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-50980)

ætas : in iuuenibus debet facere huius oneri grauitas. Quartò , quia in iuuenibus corpus est in suo robore : & sanguis in feroore. Vnde corpus nisi opprimatur onere laboris , dominatus vult spiritui & non seruire. Iuuenibus necessaria est virga correctionis : & onus laboris. Cibaria , & virga , & onus asino : panis & disciplina & opus seruo , corpori scilicet ad seruendum spiritui dato. Hugo de S. Victore: Iuuenis in otio, est quasi iumentum sine iugo. Quatuor sunt signa bona spei in iuene: scilicet amor laboris , taciturnitatis , corporis continentia , & verecundia. De tribus ultimis dicit Anselmus: In iuene tria notantur , quibus ad prosperitatem venturus prænoscitur. Hæc autem sunt taciturnitas , corporis continentia , & verecundia.

*Quod obstinatio multum cauenda sit seni.*

**T**Empore senectutis specialiter timenda est obstinatio. vnde inter abusiones claustrorum enumeratur senex obstinatus. Hugo de S. Victore: Inter abusiones huius sæculi , maior est senis obstinatio: qui morti proximus , mortis non abhorret aduentum : qui quasi ad ostium mundi huius foris spectat , non tamen vitæ presentis attendit egressum : nec ingressum futuræ vitæ desiderat. Audit nuncios mortis: credere non vult eis. Tres sunt nuncij mortis: casus , infirmitas , & senectus. Casus dubia: infirmitas grauia : senectus certa nunciat. Casus nunciat mortem latentem: infirmitas apparentem: senectus presentem. Ex incertitudine mor-

*Eccles. 32.*

*Lib. 2. de  
claustro a-  
nimæ, cap.  
15. circa fi-  
nem..*

*Tom. 1.*

*Lib. 2. de  
claustro a-  
nimæ, cap.  
15. in prin.*

tis timor: ex infirmitatis granitate, dolor: ex certitudine senectutis non obstinatio, sed humilitas & afflictio sequi deberet. In senectute maiori discretione opus est. Gregorius: Tanto debet esse quisq; in sui regimine cautior: quanto fuerit ætate prouectior. Periculosa est insipientia in fine vitæ. Illam enim nulla corrigit sapientia. Frequenter hæc insipientia inuenitur in illis, quos mundus reputat sapientes. Vnde de cupidio & auaro legitur: In nouissimo suo erit Hier. 17. insapiens. Sapientia verò in fine vitæ multum est utilis. Stultitias enim præcedentis vitæ corrigit. Obstinatione in sene, ideo periculosa est, quia in eo ætas senilis ad duritiam facit, & ut frequenter longa assuefactio ad malum.

*De pertinentibus ad diuersos status religionis.*

CAPVT II.

**I**N statu incipientis debet intendere claustra-  
lis destructioni vitæ secularis, & extirpationi  
vitiorum. Destructio verò vitæ secularis om-  
nimodo non fit subito. Vnde Gregorius in mo-  
ralibus. Conuerzionum initia bonis moribus  
malisque permixta sunt: & noua iam per inten-  
tionem agitur, & vetus adhuc vita ex vsu reti-  
netur. Et notandum quod quinq; de cauissis ac-  
cidit, quod in eo qui ingreditur religionem, vita  
vetus nō destruitur. Una caussa est, quia per lon-  
gam consuetudinem vita secularis quasi in na-  
turam versa est. Cōsuetudo enim est quasi alte-  
ra natura: Si mutare potest Æthyops pellem su- Hier. 13.  
am, & pardus varietates suas, & vos poteritis be- Pro. 22.  
nefacere, cum didiceritis malum. Prouerbium Eccl. 10.  
est: